



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare rationalis creatura facta sit, id est, homo, vel angelus. [E.] F. G. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Quare creatus sit homo vel Angelus.

*Lib. 1. c. 32.
Tom. 3. ad
prim.*

Ideo q̄ si queratur quare creatus sit homo vel angelus? Breui sermone responderi potest, propter bonitatem eius. Vnde August. in libr. de doctrin. Christ. Quia bonus est Deus, sumus: & in quantum sumus, boni sumus.

Ad quid creata sit rationalis creatura.

ET si queritur ad quid creata sit rationalis creatura? Respondeatur ad laudandū Deum, ad seruiendum ei, ad fruendum eo: in quib⁹ proficit ipsa, nō Deus. Deus n. perfectus, & summa bonitate plen⁹, nec augeri potest, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta est à Deo, referendum est ad creatoris bonitatem, ad creaturæ utilitatem.

Breuissima responsio cum queritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura.

Cum ergo queritur quare vel ad quid facta sit rationalis creatura? Breuissimè responderi potest, ppter Dei bonitatem, & suam utilitatem. Utile nempe ipsi est seruire Deo, & frui eo. Factus ergo angelus siue homo propter Deum dicitur esse: nō quia creator De⁹ & summè beatus, alterutri⁹ indigerit officio, qui bonorum nostrorū nō eget: sed vt seruiret ei ac frueretur eo, cui seruire regnare est. In hoc ergo proficit seruiens, nō ille cui seruitur.

Sicut factus est homo vt seruiret Deo: sic mundus vt seruiret homini.

ET sicut factus est homo propter Deum, i. vt ei seruiret, ita mundus factus est propter hominem, scil. vt ei seruiret. Positus est ergo homo in medio vt ei seruiret, & ipse seruiret: vt acciperet vtrūq̄, & resflueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obsequium, & quod impedit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine seruari, vt ea seruitute non Deus, sed homo seruiēs iuuaretur: & voluit vt mundus seruiret homini, & exinde similiter iuuaretur homo. Totum ergo bonū hominis erat, & q̄ factu

1. Cor. 3. d.

factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est Omnia n. (vt ait Apost.) nostra sunt, scilicet superiora & equalia & inferiora. Superiora quod de nostra sunt ad perfruendum, vt Deus Trinitas. Equalia, ad continuendum, scilicet. angeli. Quia etiam nobis modo superiores sunt, in futuro erunt equalia: qui & modo nostri sunt, quia ad vsum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia ad vsum eorum, ipsi quoque angeli in quibusdam scriptura locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur.

Quomodo omnia nostra sunt.

Ad Heb. 1. d

Quomodo dicitur aliquando in scriptura homo factus est propter reparationem angelici casus. I

DE homine quoque in scriptura interdum reperitur, quod factus sit propter reparationem angelicæ ruine, quod non est intelligendum, quia si non fuisset homo factus si non peccasset angelus: sed quia inter alias causas, scilicet. principales, hæc etiam non nulla causa exitit. Nostra ergo sunt superiora & equalia Nostra etiam sunt inferiora: quia ad seruiendum nobis facta.

Quare ita sit homo institutus vt anima sit vnita corpori. K

Solet etiam quæri cum maioris dignitatis videtur esse anima si absque corpore permansisset: cur vnita sit corpori? Ad quod primo dici potest: quia Deo voluit, & voluntatis eius, causa quærenda non est. Secundo autem potest dici, quod ideo Deus voluit eam corpori vniri, vt in humana ostenderet conditione nouum exemplum B. vnionis, quæ est inter Deum & spiritum. in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem. Putaret n. creatura se non posse vniri creatori suo tanta propinquitate, vt eum tota mente diligeret & cognosceret, nisi videret spiritum qui est excellentissima creatura tam infimæ, i. carni quæ de terra est, in tanta dilectione vniri, vt non valeat arctari ad hoc vt velit eam relinquere: sicut ostendit Apo-

Prima causa.
Secunda causa.

Matth. 12. d
1. ad Cor. 13. d.